



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ephemerologivm Ecclesiastio-Rubricisticum Novum**

**Halden, Johann Baptist**

**Brixinæ, 1717**

Titulus X. De Dominica VI. post Epiph. & Ferijs infra Hebdomadem VI. post  
Epiphaniam occurrentibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39937**

occurrentibus ob rationem Tit. prae-  
ced: allegatam sunt applicanda, sive  
suō locō celebretur, sive aliō.

Propria tamen Dominicæ V.  
post Epiph. sunt ea, quæ sequuntur:  
In I. Nocturno Officij hodierni po-  
nitur Initium Epistolæ I. B. Pauli  
Apost. ad Timoth. ut ibi. Lectiones  
quoque II. ac III. Nocturni di-  
cuntur ut ibi in proprio de Tempo-  
re: ex quo etiam sumuntur Antiphona  
ad Benedictus, & ad Magnificat in  
2. Vesperis. Oratio propria ( ex Ve-  
speris hesterni Sabbati ) uti & Missa,  
in qua Gloria & Credo Oratio 2. A-  
cunctis. 3. ad Libitum in fine: Ite.  
Col. virid.

Feriā III. infra Hebdomadam  
occurrentibus ob rationem Tit. prae-  
ced: allegatam sunt applicanda, sive  
suō locō celebretur, sive aliō.  
V. post Epiph. ponitur in Officie  
Initium Epistolæ 2. dæ B. Pauli Apost.  
ad Timoth. Feriā autem V. Initium  
Epist. ad Titum; ac denique Sabbath.  
ejusdem Hebdomad. Initium Epist.  
ad Philemonem. Quæ Initia Lectionū  
de Sacra Scriptura, si die suo poni  
non possint [ ob occurrentis Festum  
habens propri. Lectiones ] ponuntur  
die alio non impedito, juxta supe-  
rius tradita.

FERIIS infra Hebdomadem hanc  
occurrentibus, si quidem fiat de Feria  
tam quoad Missam [ quæ resumitur  
ex Dominicæ immediate præceden-  
te ] quam quoad Officium, omnia agun-  
tur eō respectivè ac proportionaliter  
modō, quō suprà Tit. V. dictum.

## TITULUS X.

### De Dominica VI. post Epiph. & Ferijs infra Hebdomadem VI. post Epiphaniam occurrentibus.

**H**ic quoque Dominicæ, ac Hebdomade ea sunt appli-  
canda, quæ suprà de Domi-  
nica III. post Epiph. & Ferijs Hbd.  
III. post Epiph. sunt tradita, sive suō  
locō celebretur, sive non.

Propria tamen huic Dominicæ  
[ nempe VI. post Epiph. ] quando suō  
locō celebratur, & Ferijs eam subse-  
quentibus sunt sequentia: In I. No-  
cturno hodierni Officij ponitus Ini-

tium Epist. B. Pauli Apost. ad Hebreos,  
& de ea legitur in sequentibus Ferijs,  
usque ad Dominicam in septuagesima.  
Lectiones quoque II. & III. Nocturni  
dicuntur de ea, uti notantur in loco,  
hoc est, in PROPRIO de Tempore. Ex-  
inde quoque sumuntur Antiph. ad  
Benedictus, & ad Magnificat in 2. Vesp.  
cum Oratione, quæ pariter est propria,  
uti & Missa, in quâ Gloria & Credo.  
Oratio 2. à Canticis 3. ad Libitum,

F 2 nisi

*¶ T.I.T.XI. De Dominicis ac Ferijs à Septuagesima usque ad Quadragesimam.*

nisi facienda sit Commemoratio occurrentis Festi simplicis, aut diei infra Octavam; nam in occurso Festi simplicis Oratio 2. erit de simplici. 3. à cunctis. In occurso autem diei infra Octavam sit Commemoratio Octave, nec dicitur 3.tia Oratio, nisi insuper occurrat Festum simplex, ut supra in simili jam monui. In fine Missæ: *In Ferijs Hebdomad. VI. post Epiph. resumitur pariter Missa Dominicæ proximè præcedentis (nisi fiat aut faciendum sit de Requiem, vel dicatur Missa Votiva, &c.) cum Orationibus in ea assignatis, atamen sine Gloria & Credo, & cum Benedicamus Domino in ejus fine. Col. Virid. Vide dicta superius Tit. V. Ita.*

## TITULUS XI.

### De Dominicis, ac Ferijs à Septuagesima usque ad Quadragesimam.

**S**EPTUAGESIMA (ut quidam apud Henric. Pisart Direct. Canon. cap. 5. Proprijs de Temp. volunt) ex eo dicitur, quod Septies habeat decem, id est, Septuaginta dies ab ea Dominica usque ad Sabbatum in albis, quō terminatur; SEXAGESIMA ex eo, quod complectatur dies Sexaginta, finiturque Feriā IV. post Pascha: QUINQUAGESIMA, à 50. dierum numerō ita dicta, ipso die Paschatis finitur; QUADRAGESIMA denique in Cœna Domini absolvitur: habet autem Quadragesima duos dies abstinentiæ à carne usque ad Pascha, & quibus si demas 6. Dies Dominicæ erunt Triginta sex, hoc est, decima anni pars, qui communiter constat diebus 365. quibus postea S. Gregorius M. insuper quatuor primos ad-

jecit jejuniū dies, ut ita non modò Decima anni solveretur DEO, sed etiam jejuniū 40. dierum CHRISTI DOMINI perfectè imitaremur.

Porro hæc SEPTUAGESIMA di- rum (ut quidam AA. norant) quam in præsenti obseruat Ecclesia, indicat illos 70. annos, quibus Filii Israël fuerunt sub servitute Babylonica, & sicut illi eo Tempore deposuerunt organa sua, dicentes: *Quonodo Cantabimus canticum Domini in terra aliena?* ita & nos deponimus *Alleluia*, quod est lætitiae signum, quod huic Dominicæ ac Tempori non convenit, utpote in quo recolitur peccatum Adæ, ejusque per Passionem Christi Servatoris, pro nobis tam dira passi, imò & mortui in Cruce, expiatio; adeoque est Tem- pus